



1666.

1. Funzenfels, Gottfried von : *De civitatis syndico.*
2. Libnacius, Gottfridus : *De causis populis injure.*
3. Textor, Ioh. Wolfgang : *De concursu hypothecarum ad publico et privato instrumento.*
4. Textor, Ioh. Wolfgang : *Controversae iuriis publici positiones*

5 Textor, Ioh. Wolfgang : *De remedio recuperandis possessionis*

1667.

1. Giegel, Prudentius : *De recti gibus.*
2. Döckler, Johann Georg : *De iure centrico*
3. Miniccius, Jakobus Ulricus : *De successione legitima*
4. Textor, Ioh. Wolfgang : *De primitibus restituendis.*
- 5 Vehr, Henicus : *De cysipelate*
6. Wattich, Thomas : *De priuatu secundo decreto*



1668

1. Grigo, Ernestus: *De rebus extra bona et in bonis-*
2. Tamus, Christian Friedrich: *De demumis bone evangelica.*
- 2 Sculp. 1668-1673.
3. Textor, Ioh. Wolfgang: *De iure accessendi inter verbis  
bonum conjunctus.*

1669.

1. Meyer, Georgius Nicolaus: *De substantia libres judiciorum  
praeparatoriorum*
2. Felwinger, Ioh. Iodocus: *De cessione actionum*
3. Felwingerus, Iohannes Paulus: *De supremis statibus ministris*
4. Pictissimus, Christoph: *De obligacionibus accessoriis.*



lica.


erhis

un

s

o









12422.

14.

8

1667

3

PRÆSIDIO SS. TRINITATIS  
&  
AUCTORITATE NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS

Disputationem Inauguralem

*De*

# SUCCESSIONE LE- GITIMA

OMNIA IN LIBERTATE  
PRO  
LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE  
HONORES IMPETRANDI  
*publicè ventilandam proponit*

JOHANNES ULRICUS MINICUS

MOENO-FRANCOE.

ad Septembris

---

*ALTDORFFI*

Typis JOH. LEONHARDI Winterberger / Universitatis  
Typographi.



MAGNIFICO VIRO  
D N.  
**HIERONYMO PETRO A STETTEN**  
FLORENTISSIMÆ REIP. MOENOFRANC.  
PRÆTORI  
PATRIÆ PATRI OPTIMO  
PATRONO SUO SUMMO

*Disputationem hanc inauguralem*

*Devotâ animi submissione*

*offert.*

**JOHANNES ULRICUS MINICUS.**



THESES I.

**I**cet Cicerone teste libro primo Off. à definitione sit inchoandum , absonum tamen minimè videtur si paucis attingam notationem atque differentiam hujus nostræ successionis legitimæ , quâ perfectâ facilior ad rem ipsam erit aditus .

I.I.

Testamentariam quidem hereditatem quoque dici legitimam patet ex l. 130. ff. de V.S. verum alio planè & diverso modo , nobis enim successio legitima illa est quæ καὶ ἐξοχὴν & secundum excellentiam prout dicunt sic appellatur , arg. §. 2. J. de J. N.G. & C. quū solā lege & nullā hominis voluntate inter veniente legitimis heredibus deferatur , & expressè testamentariæ opponatur , arg. l. 3. §. 2. ff. Pro Socio. l. 77. ff. de Adquir. Hered. ob quam rationem ejusmodi heredes dicuntur legitimi l. 2. in pr. ff. de Suis & Legit. Hered. undē & in contractibus aut istiusmodi de legitimis heredibus loquentibus testamentarii excluduntur , arg. d. l. 3. §. 2. ff. Pro Socia. Differunt etiam hæ successiones ratione originis : quod testamentaria solummodo ex jure civili , hæc verò nostra non solum ex civili verum naturali quoque jure originem trahat l. 7. ff. de Bon. Damnat. nam ut succedatur propinquis ex jure naturæ est & communi hominum affectu , propensioreque erga cognatos quam exteris , quem natura ingeneravit amore , quamvis postea legumlatores modum , qui , quo ordine & quibus præferendi sint , posuerint . Deinde differunt usū , legitimarum enim hereditatum usus , qui naturalis est apud omnes ferè gentes ( Japponii enim Siamiique remotissimo regnorum incolis notum esse testatur Franciscus Caron in

A 2

sua

sua Japonia p.m. 116. & 316.) earum vero ex testamento neutriquam apud omnes obtinuit, cum germanis Tacitus græcis vero Plutarchus in Solone incognitum eum fuisse prohibeant.

## III.

His itaque præmissis, ad definitionem progredior: quæ est legitima hereditatis extra casum testamenti aut aliis voluntatis ultimæ adquisitio: sub quo nomine hereditatis universum jus quod defunctus habuit continetur. l. 24. ff. de V.S.

## IV.

Intestatus autem dicitur esse is, qui, de cuius hereditate quæstio est testamentum aut non fecit l. 1. pr. ff. de Suis & Legit. Hered. aut jure non fecit, omissis scilicet solennitatibus arg. l. 6. ff. Quis satisd. cog. in quo textu vitiosa pro non factis habentur, aut id quod fecit ruptum irritumve factum est pr. Inst. de Heredit. quæ ab intest. def. aut quod fundamentale, non hereditas adita est d. pr. & l. 1. pr. ff. de Suis & legit. Hered. aut per querelam in officiosi & bonorum possessionem contra tabulas ex post facto intestatus factus est. immortalis memoriæ Ludw. Ex. 10. th. 1. l. a.

## V.

Oritur hic quæstio an ii, quibus ob defectu ætatis vel aliud vitiū corporis: veluti pupillis furiosis & prodigiis testandi potestas adēpta est, intestatis annumerādi sint, ac sub statuto, de ab intestato decedentibus loquente, comprehendantur? & remotâ nimiâ Philosophorum, Jctis ( quippe qui in verbis faciles) invisâ subtilitate, eorum opinioni calculum adjicio, qui intestatos eos esse statuunt, quum nonsolum textibus juris clarissimis, l. 1. pr. ff. de Suis & Legit. Hered. l. 9. ff. de Rebus dubiis & pluribus aliis, sed rationibus quoque non contemnendis suffulta sit, quarum præcipua est: omnem hereditatem aut ex testamento aut ab intestato venire s. ult. f. Per quas pers. cuig. adquir. & partem hereditatis non dari in Jure

l. 50

555(5)555

*I. 5. Cod. de Pact. convent. & sic nec nobis tertiam quandam speciem constituere licere, in statutis autem verba secundum communem loquendi usum accipienda esse arg. l. 18. §. 3. ff. de Instr. vel instr. leg. accedit & ratio istorum statutorum, quæ est conservatio familiarum, quarum splendor sane contraria opinione penitus extinqueretur.*

*V I.*

Successio ab intestato regulariter in tres ordines dividitur. 1. Descendentium, 2. Ascendentium. 3. Collateralium; cui positioni remoram non injicit *pr. Nov. 118.* ubi Imperator ascendentibus primum locum tribuit, naturæ enim cursum imitari voluit, secutus Cajum *in l. 1. pr. ff. de Grad. & affin.* superiorem ordinem quoque præferentem, siue ascendentibus enim descendentesesse non possunt. Decus illud JCtorum Conr. Rittershcomment. *ad Nov. P. 7. c. 3. §. 6.* deinde ipse Imperator in *d. Nov. 118. c. 1.* ordinem inferiorem ut potè descendentes præponit, quâ ratione ducti, quidam incuria amanuensium illud factum fuisse existimant.

*V I I.*

In prædicta *Nov. 118. c. 1.* patet primam causam in hac successione esse liberorum, ob rationem enim naturalem, tacitam quamdam legem parentes liberis suis hereditatem addicunt, atque ad debitam vocant hereditatē *l. 7. pr. ff. de Bon. damnat.* imo vivo adhuc patre rerum paternarum domini appellantur *l. 11. ff. de Lib. & posth.* quo & referri potest conclusio ista Divi Pauli Apostoli *ad Galat. 4. v. 7.* Si liberi, omnino erunt heredes:

*V I I I.*

Liberorum autem variæ sunt species, beatissimus Dn. Ludw. *Exerc. 10. th. 2. in pr.* sex enumerat. Spirituales, naturales & legitimos simul, legitimostantum, naturales tantum, spurios seu vulgo quæsitos & natos ex damnato coitu;

de prima est ultima specie, spiritualibus nimirum & ex  
damnato coitu natis, hic non agam, quoniam illorum  
cognatio in spiritu consistit, adeoq; ad bona temporalia exten-  
di non debet, hi verò tanquam cognatorum nomine indigni  
non solum ab omni successione arcentur, verum etiam ali-  
menta deneganter, qui tamen rigor quibusdam jure cano-  
nico mutatus videtur. *cap. 5. in f. X. de eo qui dux. in Uxor.*  
Nec isti liberi ad successionem vocantur quorum Parentes  
ob crimen læse majestatis damnati sunt *l. 5. §. 1. Cod. ad Leg.*  
*Jul. Maj. eorumq; bona confiscantur qui ob hæresin damna-*  
*ti sunt c. 13. X. de Hæret.*

## I X.

Quibus primo loco communī naturæ ac parentum  
voto hereditas obvenit sunt liberi naturales & legitimi simul,  
sive ex justis nuptiis procreati, ob hoc dicti naturales, quod  
quoad nativitatem omnibus sint similes, legitimi verò, quod  
conjunctione ista legibus sit conformis, & secundum earum  
requisita peracta: Hi nullâ sexus aut patriæ potestatis habi-  
tâ ratione, sed solâ naturali causâ & jure sanguinis inspecto,  
si primi gradus & quotquot eorum sunt, æqualiter in capita  
succedunt. *So manch Mund/so manch Pfund / omnibus*  
*ascendentibus & collateralibus exclusis Auth. in successionem,*  
*C. de Suis & Legit. lib.* si autem ulterioris gradus sive soli sive  
cum liberis primi gradus concurrunt, jure repræsentationis,  
quod in infinitum se extendit *N. 118. c. 1. ibi: aut alios de-*  
*scendentes, in stirpes, ut fratum vel sororum liberi, licet de-*  
*cem aut plures sint, non nisi unam, patris nimirum sui par-*  
*tem ex hereditate avi accipere possint d. Nov. 118. c. 1. quam*  
*etiam sequitur inclytæ reipublicæ Mœno-Francofurtanæ*  
*Reform. parte 5. tit. 1. §. 2. hujusq; ratio est supra in allegata*  
*l. 7. in pr. ff. de Bon. damn. magis enim naturalis est hæc suc-*  
*cessio*

cessio quam collateralium, quum, licet remotissimi sint, originem suam traxerint ab ascende[n]te.

X.

Cum dictum sit in infinitum jus repræsentationis sese extendere incidit quæstio an nepos post mortem avi conceptus ad successionem ejus ab intestato admittatur? quod quidem l. 6. in pr. v. sed hæc ff. de Injust. rupt. & irrit. test. simpliciter negatur, ratione desumptâ ex l. 1. §. 8. ff. Unde Cogn. in quo textu ejus cognati dici illi nō possunt, qui vivo eo nō extiterunt animalia, verum cum hæc opinio fundata sit in ll. 12. tabularum l. 6. ff. de Suis & legit. hered. & jure nostro novissimo non tam suitatis aut cognitionis quam sanguinis habeatur ratio, jure transmissionis & virtute sanguinis, tam ex sua persona quam patris sui, quem repræsentat, ad bona avi admitti debet, negari enim non potest istiusmodi nepotes avo conjunctos esse, firmo manente hoc presupposito, jus repræsentationis, prout dictum, in infinitum sese extenderet.

XI.

Quæ regulariter sic posita omnifariis limitationibus sunt subjecta: Si scilicet primò diversorum matrimoniorū sunt liberi, adeò ut quilibet proprii parentis bona separatim, communis verò æqualiter accipiant l. 4. ff. ad SCtum Tertyll. nisi pactum de unione prolium intercesserit, vigore cuius bona communicantur immortalis memorie Dn. Ludw. in comment. Inst. ad Jus nov. de succ. ab intest. §. 1. n. 11. qui contractus probatur ejusq; requisita egregiè traduntur in inclitæ Reip. Mœnofrancof. Reform. part. 3. t. 10. Secundò statuta quorundam locorum obsunt, prout videre est in Illustris Reip. Noriberg. Reform. l. 4. §. wann aber t. 34. ubi neptes & proneptes soli non jure repræsentationis in stirpes, sed proprio jure in capita succedunt, sic quoque notum est

est in certis quibusdam bonis quamdam prærogativam esse filiorum, quamdam filiarum, illis vestes paternas, libros ad negotiationem non pertinentes & arma, his verò quæ mundi sunt muliebris præcipientibus.

## XII.

Nativitatis quoq; ratione singulare quid hoc in casu statuitur, jure videlicet primogenituræ, cum filio primogenito propter splendorem & conservationem familiæ, cæteris exclusis omnia bona tribuuntur, quo tamen præcipue spectandum, ne naturæ bellum exemplo tyrannicæ consuetudinis turcicæ inferatur, aut natu minores omnibus bonis exuantur, sed loco alimentorum vel dotis ipsis aliquid relinquatur Beat. Dn. Conr. Rittersh. *comm. ad Nov. part. 7. c. 4. n. 12.* De filio primogeniti controvertitur an patrum à successione regni vel electoratus principatusve excludat? pro utraq; varia à Doctoribus in medium producuntur exempla & rationes: verum cum in Aurea bulla Car. IV. expressè nepotis causa tueatur, pater & filius insuper naturâ una eademq; persona esse intelligantur *I. ult. in f. C. de Impub. & al. subst.* meritò & hanc sequendam esse statuo.

## XIII.

Supra th. 2. dictum est legitimorum heredum nomine solummodo contineri ab intestato venientes, cuius argumento in feudis, jure singulari pro heredibus legitimis solummodo masculi accipiuntur cap. *Si clientulus vers. et si clientulus i. Feud. 13.* & fæminæ regulariter ab omni successione feudi excluduntur c. quia s̄ hoc autem i. Feud. 1. duobus causibus exceptis: si scilicet eo pacto specialiter datum sit feendum ut fæmina in illo quoq; succedere possit, dicto loco, & feendum sit fæmineum, hoc est primam originem à fæmina trahat

trahat c. si fæmina 2. Feud. 30. cuius rei prægnantes admodum sunt rationes: Dominum enim neq; consilio neq; auxilio juvare possunt c. mutus & surdus 2. Feud. 26. ab omnibus officiis civilibus remotæ sunt l. 2. ff. de R. J. conservatio familiarum in illis cessat, caput enim & finis familiæ sunt mulieres l. 195. ff. de V. S. arcana domini reticere nequeunt secundum illud:

*Fæmineo generi nemo concredere quidquam*

*Audeat: inconstans & leve pectus habet.*

*Omnia nosse cupit mulier: secrete revelat:*

*Et, nisi quod nescit, nil reticere potest.*

quæ tamen omnia tempore investituræ sub juramento fidelitatis strictè requiruntur. cap. 5. 6. & 7. Feud. 2.

#### XIV.

Succedunt itaque in feudis soli descendentes vasalli masculini sexus, nullâ suitatis aut emancipationis habitâ ratione, prout in allodialibus, ut si plures sint æqualis gradus succedant in capita five partes viriles, nec permisum est patri vasallo disponere ut in partes inæquales feudum dividatur, aut uni ex filiis totum assignetur c. sequitur 1. Feud. 8. sin autem disparis sint gradus, filii nimirum cum nepotibus concurrentes hi ut potè remotiores, ab illis tanquam propioribus, non excluduntur, sed jure repræsentationis in stirpes admittuntur c. Per successionem 2. Feud. 11.

#### XV.

Neque legitimè tantum nati ad hanc successionē vocantur, sed etiam legitimati; cuius legitimatis triplex traditur modus: Oblatio curiæ, subsequens matrimonium & rescriptum Principis; quum autem prior illa illa species, cum antiqua illa munerem curialium ratione nunc cessente, exoleverit, in illam multa inquirere supervacuum videtur.

B

XXI. Est

¶¶¶¶( ro )¶¶¶¶

XVI.

Est igitur legitimatio per subsequens matrimonium, quando pater nullam legitimam conjugem habens in uxorem illam, quam concubinæ loco habuit, aut cum qua ex fornicario coitu liberos antea procreavit, in uxorem ducit, modo talis sit conditionis mulier ut ejus matrimonium non sit prohibitum *s. fin. J. de Nupt.* quam ob rationem ex adulterino aut alio prohibito coitu nati legitimari nequeūt *l. 10. C. de Nat. lib.* nec præcisè requiritur ut dotalia instrumenta confiantur *Auth.* Sed novo jure *C. de Nat. lib.* solum enim consensus & affectio maritalis ad nuptias celebrandas sufficit *dicta Auth.* hodiernisq; moribus consensum atq; benedictionem sacerdotalem sufficere docet experientia per *c. tanta 6. X. qui filii sint leg.* Ampliatur porro etiamsi à sene decrepitæ ætatis aut in articulo mortis contrahatur matrimonium, nihilominus legitimari liberos, quoniam consensus non cōcubitus nuptias facit *l. 3. ff. de R. J.* sufficitq; habitus licet exercitum quodammodo sit suspensum, non *obst. l. 11. C. de Nat. Lib.* satis enim adhuc subest spes soboles tollendæ, cum matrimonio contracto soboles efficitur legitima, & nova qualitas filii procreatur. Neq; interest sive post contractum matrimonium nascantur liberi alii, sive non, & nati supervixerint sive non, aut aliud intermedium contractum fuerit matrimonium *l. 11. C. de Nat. lib.* quoniam hæc omnia in honorem favoremq; matrimonii, ubiq; durantem, recepta sunt.

XVII.

Hoc optimo, maximo aliquo longè excellente legitimandi modo legitimati omnia jura naturalium ac legitimorum sibi vindicant, adeò, ut non solum jus succedendi parentibus, sed & reliquis cognatis consequantur *Novell. 74. c. 3.* tanta enim matrimonii vis est, ut omnia præcedentia vitia

vitia purget cap. tanta 6. X. *Qui filii sint leg. hujusq; ratio ele-*  
*gantissima est in l. 10. C. de Nat. lib. quod nimis amor*  
*atq; affectus prioris sobolis ad nuptias contrahendas , & ad*  
*posteriorum filiorum progeniem occasionem dederit , id-*  
*eoq; iniquissimum videri ipsam stirpem secundæ posterita-*  
*tis , priorem quasi injustam & illegitimam excludere , quum*  
*è contrario gratias agere fratribus suis prioribus posteriores*  
*debeant , quippe quorum beneficio ipsi legitimi sint filii , &*  
*nomen ordinemq; legitimorum consecuti . Omnes igi-*  
*tur liberos , sive post nuptias sive antea natos , Imperator unâ*  
*eademq; lanceâ voluit trutinari , & omnes tanquam suos in*  
*potestate parentum existere , ut nullum inter illos sit discri-*  
*men unâque ; fruantur fortunâ quam Imperatoris constitu-*  
*tionem quoq; sequitur inclytæ Reip. Mæno-Francof. Re-*  
*form. p. 5. t. 1. §. 4.*

## XII X.

Quod cum in allodialibus certum sit , controvertitur an  
 in feudis istiusmodi legitimati per subsequens matrimonium  
 quoq; succedere possint? multi per cap. Si de feudo §.  
 naturales 2. Feud. 26. ducti illud negant , verum cum non so-  
 lum verba legis sint inspicienda , sed vis ac potest eorum at-  
 tendi quoq; debeat , l. 17. ff. de LL. eveniet illum textum feud.  
 non de his , sed per rescriptum Principis legitimatis loqui;  
 quomodo enim pater defunctus filium per subsequens ma-  
 trimonium legitimari poterit? Præsertim cum & Came-  
 ra Imperialis illos ad mittat , testante Mys. Gent. 5. Observ. 42.  
 à qua nec in judicando recedendum monet immortalis me-  
 moria Dn. Ludw. Comm. Inst. ad Jus nov. de success. ab intesta-  
 to §. 2. n. 10. Imò tanta hujus legitimationis est vis , ut , si  
 statuto caveatur masculis extantibus fæminas à successione  
 arceri , etiam masculi per subsequens matrimonium legiti-  
 mati

matifæminis legimè natis præferri debeant, per rationes thi-  
præced. prolatas.

## X I X.

Extra matrimonium legitimatio procedit, quando liberi naturales id est bastardi & ex ea muliere nati, cum quæ matrimonium contrahere potuisset, per rescriptum Principis, aut eum cui ab illo id permisum est; l. 3. ff. de off. ejus cuè man. est jurisd. potestati patriæ subjiciuntur, quæ regulariter tum demum fit, si nulli ex justo matrimonii liberi parenti supersunt Nov. 89. c. 9. Myns. cent. 1. Observ. 35. n. 3. nisi liberi legitimi post legitimationem nati fuerint, aut liberi priores consensum dederint. Tunc ita legitimati parentibus ac si legitimè nati essent succedunt, quamvis per subsequens matrimonium legitimatis longè inferiores existant; nam soli tantum patri succedunt, non etiam aliis ascendentibus, descendenteribus aut cognatis patris Nov. 89. c. 4. quoniam præjudicium ex legitimatione proximis fieri nequit Tholos. l. 45. Syntagm. c. 7. n. 8. in feudis non succedunt per d. s. naturales 2. Feud. 26. nisi nominatim legitimati sint ad feuda, idque in rescripto legitimationis sit expressum & cautum Myns. cent. 5. Obs. 42. n. 5. quoniam in generali dispositione feuda non comprehenduntur præsertim in præ judicium aliorum, nec deniq; continentur statuto, masculis extantibus fæminas excludente, nisi post legitimationem filiæ natæ fuerint, quo casu à legitime natis nihil differunt. Nov. 89. c. 9. Beatissimus Dn. Ludwell. comm. Institut. ad Jus noviss. ab intestato s. 2. num. 4.

## X X.

De legitimis tantum videndum est, qui non naturâ sed legis autoritate per adoptionem inter liberos referuntur; sunt autem adoptivi in specie sic dicti aut arrogati: illi si ad mortem usq; adoptantis adoptio duraverit, non solum pa- tri

tri naturali sed adoptivo quoque ab intestato succedunt, idque certum quando in potestatem adoptantis non transferunt, sed patris naturalis jura sarta tecta retinuere; de illo autem, qui ascendentium cui-dam in adoptionem datus adeoque in ejus potestatem pervernit, controvertitur, an gaudere possit amplius in bonis patris naturalis inviolato jure? distinguendum an emancipatus sit vivo parente an mortuo? priori casu jus successionis ei adhuc esse liberum, posteriori verò neutquam, legum tenori consentaneum videtur, sibi enim imputet, quod in adoptionem sese dederit, & sponte emancipari permiserit, cum invitus nemo possit emancipari *l. pen. C. de Emancipat.* Idem jus quoad hanc successionem de arrogatis statuendum, speciali casu excepto; in impubere videlicet arrogato: quod pater adoptivus, si eum sine justa causa emancipaverit aut exheredaverit, præter bona ipsius ex *Constit. Divi Pii* quartam partem omnium bonorum ipsi restituere teneatur *J. 3. J. de Adopt.* Verum cum hi modi rarissimi admodum sint non immerito miratus est *Harpr. ad J. 14. J. de Hered.* *ab int.* jus illud de liberis adoptivis neque magnæ rei, neq; industriae in institutionibus toties repeti & ad fastidium inculcari.

*X X I.*

Sequuntur naturales tantum, sic dicti, quia naturaliter extra honestatem matrimonii cum concubina procreantur, quorum procreatio, quamvis Christianos non deceat, prout eleganter traditur in *inclytæ Reip. Mænofrancof. Reform. p. 5. t. 1. J. 13.* cum tamen nihilominus accidat, jus civile illa sequitur, diversamque illegitimorum à superiorum successionem esse statuit: adeò ut naturales id est ex concubina nati matri maternisque cognatis indistinctè succedere debeant, sive soli sint sive cum legitimis concurrant *l. pen. C. ad SCt; Orph. cognatis verò paternis neutquam*, ut

B. 3:

nec

nec ipsi patri si justam uxorem vel liberos reliquerit, præterquam quod alimenta tantum secundum mensuram substantię ex hereditate defuncti, secundum arbitrium boni viri, consequantur *Nov. 89. c. 12. inf.* Sed si non adsint justi liberi, nec justa uxor, una cum matre sua, si supersit, in sextantem hereditatis paternæ, non verò avi cæterorumque ascendentium, in capita sive æquales partes succedunt. *Auth. licet C. de Nat. lib. I. fin. C. eod. t. etiam si mater sit illustris §. 3. J. ad SCt. Orph.*

## X X I A.

Secundum vulgarem loquendi usum omnes quidem extra matrimonium procreati spuriis annumerantur, in specie tamen nomen istud merentur liberi meretricum sive ex scorto nati, qui ob id quod patrem incertum habent vulgo quæsiti appellantur *l. 5. ff. de Injus voc.* Hi matri maternisque cognatis pari modo succedunt ut naturales, nullâ habitâ differentia, soline sint an cum legitimis concurrant, nisi mater sit illustris ad cuius successionem liberis legitimis extantibus non admittantur *l. 5. C. ad SCt. Orph.* à patris verò paternorumque cognatorum hereditate prorsus excluduntur *l. 4. ff. Unde cogn.* adeò ut quidam, inter quos Bartolus in *l. 3. ff. de Testam.* ne statuto quidem ipsis deferri posse successionem arbitrentur, de cuius tamen opinionis veritate, si de patre quoad factum constat, meritò cum Palæot. *de Spuriis c. 54.* dubitatur: nam sicut lex facit spurium habilem ad succedendum matri, si non est illustris, ita statutum potest eum facere habilem ad succedendum patri, quia successores sunt de jure civili, accedit quod sacrilegii crimen incurvant, qui de autoritate eorum quibus jus statuendi legisve ferendæ potestas est, disputare conantur *arg. l. 3. C. de Crim. Sacril.*

XXIII. Tur.

15

X X I I I.

Turbato mortalitatis ordine, ratione pietatis & miserationis, liberorum hereditas parentibus defertur, vitæ enim autores post Deum nobis existunt, dignæq; gratiæ illis propter infinitas curas atque onera in educatione liberorum rependi nequeunt. Quum igitur, prout eleganter Cicero pro Quintio, leve hoc solatum exposcat maximus mœror ex obitu liberorum, meritò secundum ordinem constituunt ascendentes. Et hi, deficiente descendantium lineâ, ita succidunt, ut semper ulteriores gradu à proximioribus excludantur, quoniam jus repræsentationis in hoc ordine locum non habet, ob naturæ ordinem, cui non convenit patrem repræsentare filium.

X X I V.

Si itaq; filius aliave è vita decesserint nullosq; reslinquerint liberos, parentibus defertur hereditas, hi autem vel soli sunt, vel cum aliis fratribus nimirum ac sororibus defuncto ex utroq; latere conjunctis concurrunt: Priori casu ita procedendum, ut si pater & mater, vel his deficientibus, solum parentes paterni, aut soli parentes materni adsint, æqualiter five in capita succedant. Si verò deficiente patre matreq; paterni & materni inter se concurrunt, fiat successio in stirpes, id est paternis dimidia maternis altera dimidia pars tribuatur, licet disparis sint numeri, nulla habitâ bonorum distinctione unde provenerint, universum enim ius quod defunctus habuit nomine hereditatis comprehenditur supra th. 3. nec hereditas semel juncta separari potest l. 10. §. 2. ff. de Vulg. & pup. subst. ad hæc in camera imperiali hanc opinionem receptam esse testatur Myns. cent. 6. Obs. 55.

X X V.

Posteriori casu, si videlicet cum fratribus sororibus utrinq; conjunctis concurrunt ascendentes, succidunt in capita

capita, & hoc ob hanc rationem, quod interventus fratrum efficiat ut parentes viriles partes accipiant Nov. 118.c.2. nec refert primi an ulterioris sint gradus l.92. ff. de V. S. ita ut pater ne usumfructum quidem ex portione filiorum aut filiarum sibi vindicare queat d. N. 118.c.2. v. si verò. Unde patet fratres atq; sorores defuncto ex uno tantum latere conjunctos cum parentibus neutquam succedere, sed ab his removeri, adeò, ut ne quidem cōsanguineus frater cumpatre, aut uterinus cum matre admitti debeant Auth. Defuncto C. ad SCt. Tertyll. Fratrū etiam sororumve germanorum filii filiæq; unā cum defuncti parentibus & fratribus sororibusve, non quidem ex Nov. 118. sed alia quinq; annis posteriore admittuntur in eam portionem quam pater ipsorum, si vixisset, habiturus fuisset Nov. 127.c.1. Si verò fratres germani omnes præmortui fuerint, & ipsorum liberi soli cum defuncti patrui parentibus concurrunt, nihilominus in parenterē portionem admittendos esse statuo, quod tamen ad nepotes extendi non debet, qui meritò ab ascendentibus excluduntur. Legitimorum illegitimarumq; succedendi modum è prioribus intellectu faciem esse censeo, quo me brevitatis studio remittam.

## XXV I.

Descendentium ascendentiumq; lineâ deficiente, tertio in succedendo ordini locus relinquitur, nimirum collaterilibus: ex quibus primò succedunt defuncti fratres & sorores legitimi ex utraq; latere conjuncti æ qualiter in capita, secundum numerum personarum, cum quibus eorum liberi quoq; admittuntur, verum non uno eodemq; modo: spectandum enim est, an soli sint, aut cum patruis concurrant; & sic priori casu hereditas in capita, posteriori verò in stirpes dividenda est l.14. §.1. inf. C. de Legit. Hered. N. 118.c.3.inf. & quod instar omnium est Recessu Imp. A. 1529. à Car. V. Spiræ habito. Fratres verò sororesve ex uno tantum latere conjuncti ab

ab utrinq; conjunctis excluduntur , immo tanta vis est duplicitis  
hujus vinculi ut liberi etiam utrinq; conjuctorum quam-  
vis gradu ulteriores sint , illis præferantur.

**X X V I I .**

Fratres consanguinei vel uterini soli succedunt in capi-  
ta , præmortuorum verò filii in stirpes. An autem hoc casu  
dividenda sint bona , ut consanguinei in paternis, uterini ve-  
rò in maternis succedere debeant, reliquis bonis, aliundè que-  
sitis, æqualiter dividendis, multum controvertitur? contra-  
rium tamen placet, non solum propter expressum textum in  
dicta Nov. 118.c.3. verum etiam quod probatio sæpius admo-  
dum difficilis sit, undè bona provenerint, adeoq; multa dissi-  
dia pariat. Inclytæ Reip. Mœno-Francof. Reform. p.5.t.3.§.5.

**X X V I I I .**

Post fratres fratrumq; filios , reliqui collaterales omnes  
quicunq; sunt gradu proximiores, ad hereditatem in capita  
dividendam admittuntur, neq; hoc casu, an ex uno aut utroq;  
latere conjuncti sint, quicquam refert. Quousque autem in  
hac successione computatio graduum facienda sit, non con-  
venit inter Dd? mihi eorum opinio probabilior ac æquitati  
magis consentanea videtur qui in infinitum eam extendi de-  
bere statuunt , ob quam rationem enim propinqui , licet re-  
motioris sint gradus non potius quam fiscus , alioquin suc-  
cessurus, admittentur.

**X X I X .**

Excluso fisco successio conjugum locum habet,cum,de-  
ficientibus sanguine junctis maritus & uxor sibi invicem suc-  
cedunt, nisi in justum fuerit matrimonium, nec ad finem vi-  
tæ duraverit l.un. ff.Unde Vir & Uxor. nomen enim viri &  
uxoris non merentur in justi conjuges §.12. Inst. de Nupt. Si  
igitur matrimonium absq; dote fuerit contractum , & mari-  
tus locuples moriatur , tunc novissimis constitutionibus

C

uxor

( 18 )

uxor superstes , inopiâ laborans unâ cum liberis tribus aut paucioribus in quartam , cum pluribus in virilem succedit , & vice versa l.un. & Auth.C.Unde Vir. & Uxor..

X X X.

Deficientibus etiam conjugibus in bona vacantia fiscus admittitur , modo is bona intra quadriennium agnoscatur , ne præscriptione se tueri possit possessore l.i. f.2. ff. de Jure Fisci . De qua materia videri possunt *textus ff. & C. de Jure Fisci tt. C.de Priv.Fisci.C.de Bon.vacant. Dn. Conr. Rittersh. p. m. ad Nov.p.7.c.19.* Inclutæ Reip. Mœno-Francof. Syndicus Celeberrimus Dn. Maximilianus Faust ab Aschaffenburg p. m.

in Consiliis suis pro Ærario Class.19.Cons.31.ord.1512.

ubi viginti casus de jure fisci in bonis va-  
cantibus ponit.

Ad

*NOBILEM ET CLARISSIMUM*

DN. JOH. ULRICUM MINICUM

J. U. Candidatum dignissimum , Amicum Studiorum similitudine , consuetudinis suavitate , & deleßatione  
vitæ atq; victus conjunctissimum.

**Q**uot Francofurtum Nobilis Urbium  
Germanicarum Gloria , quot mihi

Veros Amicos , fida corcla  
Sidere parturit auspicato.

Vos Vos Amici ! nomen ut indicat ,  
Vitæq; nostræ Magna lenimina ,

FLEISCHBEINII , MINICUSQUE , PISTOR ,  
carmine perpetuo canendi.

Vix Vestra vidi lumina primitus ,  
junxiq; dextras pignora candidæ  
fidei ; novos jam nunc amores  
peстore sum meditatus alto.

Senfi-

( 19 )

Sensi vicissim semper amabiles  
Vos, ac eosdem, fallere nescios,  
mecumq; certantes tenere  
dulcia jura fidelitatis.

O nos beatos quater & amplius!  
irrupta nexus copula quos ligat,  
quam sauciavit nec simultas  
nec rabies male sana mentis.

Nam res Amoris quum semel excidit,  
curat reponi non eadem hostibus:  
sicut neq; amissos colores

lana refert medicata fuco.

Hanc parte quarta Nectaris imbuit  
Felicitas vitam. Non stetit aut diu  
fortuna, sed mox reddidit vos  
Diis Patriis Patrioq; cælo.

Me mancipasset tristitiae gravi,  
fregisset vita dulcia commoda;  
ni longius mecum fuisses

Grande Decus columenq; nostri  
MINICE Amoris, Prime Sodalium,  
cum quo morantem sæpe diem dedi-  
busto, audiendo dicta facta

sparsa papavere sesamoque:  
Cui cuncta tutis auribus obtuli,  
sensi paratas auxili manus;

nam verba dictis comprobasti

Tu Philotechnia Veri Amoris.  
MINICE quid tu? nunc abitum paras?  
quid me inquietas? ut male saucio  
mihi dolorum pristinorum  
vix gemiti creas recentis.

Ponen-



( 20 )

Ponendus autem tristitiae modus:  
si quando novi te intus & in cute,  
non longitudo te Sodalis  
solvet amore gravi viarum.

Est gratulandum nunc potius tibi  
quod militaris non sine gloria

Musis, & altum Juris æquor  
Sideribus geminis araris.

Æqui boniq; incocta scientia  
nunc se mora mens eripuit tua,

& scripta vulgas perpolita,

Symbola judicii subacti,

Epopta Salve Tu Themidos mihi;  
Salve Sacerdos justitiæ novus:

Sic laude cresces posterorum,  
maxima parsq; tui sepulchrum  
vitabit. Altis tollere honoribus  
certent benignè Te Patrii Lares.

Nam quicquid est ubiq; gentium  
hoc Apio lavitur laboris.

Tu vade felix; i pede prospero!

Jussus Parentis, vota Sororia

quo te vocant, latusq; nomen  
mente meum memori teneto:

περὶ περὶ ξοντοῖς  
νόοιν

f.

Joh. Anton. Geiger / Laufā  
Noricus.

F I N I S.






Aetclorff, Diss., 1666/69




56.

V317





38. )  
rejur. q.  
n. II. Be  
jus suu  
ui ejus  
rat, et si  
cupan  
. Nota  
diffe  
m des  
modo  
C. deon  
l b. T.  
at ple  
ui reri  
o potest  
vendit  
mper, u  
station  
rium  
e ad n  
enequ  
tractu  
abeat  
t.] tam  
em ce  
censite  
us, si b  
ocat. i  
trade  
in se  
ervati  
NT



12422.

14.

1667

3

PRÆSIDIO SS. TRINITATIS  
&  
AUCTORITATE NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS  
Disputationem Inauguralem  
*De*  
**SUCCESSIONE LEGITIMA**  
OMITTO CENSUSTRUM  
PRO  
LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE  
HONORES IMPETRANDI  
*publicè ventilandam proponit*  
**JOHANNES ULRICUS MINICUS**  
MOENO-FRANCOE.  
ad Septembris

*ALTDORFFI*  
Typis JOH. LEONHARDI Winterberger / Universitatis  
Typographi.